



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 38. Doctrina Christiana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

desint, quos puniatis; quæ indoles profecto carnificem magis, quam bonos Principes deceret.

Sæculum II.
A. C. 150.

§. XXXVIII.

Doctrina Christiana.

Tum S. Justinus Doctrinam Christianam explanans, ait; a Christianis adorari primo loco æternum Patrem, rerum omnium Conditorum, secundo loco Filium ejus Jesum Christum, sub Pontio Pilato crucifixum, & tertio honorari Spiritum Propheticum. Ut, Christianos non insanire, demonstraret, licet hominem adorent crucifixum, ait; hominem hunc, esse Rationem supremam, quæ suis sequaces ex toto converteret; aliquando enim, subinfert: *Lascivia delectabamur, nunc vero puritatem amamus; aliquando artis magicæ arcana scrutabamur, nunc solius Dei Bonitati confidimus; aliquando media divitias cumulandi, & aliena rapiendi quærebat, nunc nostra in Confratrum levamen communia facimus. Inimicos nostros odio capitali prosequeremur, nec nisi cum confratribus juxta veterem consuetudinem comedere dignabamur; at post adventum Jesu Christi omnes familiariter convivimus, & pro inimicis nostris preces ad Deum fundimus. Cæterum omnes vires convertendis nostris Persecutoribus impendimus, ut Jesu Christi*

p. 61.

Hh 4

præce-

Sæculum II. præceptis collum inclinantes, eadem a Deo
 A. C. 150. bona sperent, quæ nos speramus. Et rur-
 sus: Multos digito monstrare possemus,
 qui, cum antea moribus essent violentis, &
 furiosis, postquam se nobis junxerunt, par-
 tim proximorum suorum moderatione,
 partim sociorum in itineribus singulari
 patientia, aut in negotiis commissis per-
 spectâ eorum integerrima fidelitate, mu-
 tati, & ad humanitatem reducti sunt.

S. Justinus deinde quædam præcepta
 moralia JESU Christi referens, inquit:
 Sermones ejus erant breves, & sententiæ
 concisæ, non enim erat Sophista, sed ver-
 bum ejus erat virtus Dei. Et postquam
 S. Evangelii textus de castitate adduxis-
 set, & probasset, Christum etiam solas
 cogitationes damnare, subjungit: Multi
 sunt utriusque sexus, qui ab infantia Do-
 ctrinam JESU Christi secuti, ad annum
 sexagesimum, vel septuagesimum purita-
 tem servarunt, & fidem meam oppignero,
 tales inter omnes conditionis Christianos
 invenire esse. Enumerandæ autem eorum
 infinitæ multitudini, qui ab impudenti
 morum licentia ad vitam castigatam tran-
 siverunt, quis sufficiat? Pergit deinde præ-
 cepta Evangelii declarare de inimicorum
 dilectione, eleemosina, bonorum abdicat-
 ione, patientia, debita Principibus obe-
 dientia, & addit: Unicum itaque ado-
 ramus Deum, vobis vero cum gaudio in
 cæteris

ceteris omnibus obedimus, Imperatores, Sæculum II.
A. C. 150.
 Mundi Dominos agnoscimus, & ut vobis
 cum suprema Potestate rectam imperandi
 rationem indat, Deo vota facimus. Si
 vero, dum pro vobis Deum precamur, &
 vobis totam Religionis nostræ rationem
 clarissime exponimus, nihilominus sanguis
 noster vobis vilescit, id tamen damno no-
 stro non fiet; certissima enim fide tenemus,
 unumquemque in igne æterno juxta ope-
 rum suorum merita pœnas daturum, &
 Deo pro mensura Potestatis, sibi commissæ,
 rationem redditurum.

Uterius de Generatione Verbi disse- p. 68.
 rens, ita loquitur: Credimus nostram Do-
 ctrinam ubique terrarum recipiendam esse,
 quia vera est, & nobis à Jesu Christo tradi-
 ta, qui solus est Filius Dei propriè genitus,
 ejus Verbum, ejus Primogenitus, & Virtus,
 & ejus voluntate factus homo. Inferius p. 96.
 hæc habet: Qui Filium cum Patre con-
 fundunt, nec ipsum Patrem nosse dignos-
 cuntur, & nesciunt, quod Pater totius uni-
 versi Filium habeat, qui cum sit Verbum, &
 Primogenitus Dei, idem cum ipso Deus est,
 qui olim Moyse, aliisque Prophetis in forma
 ignis, & specie incorporea apparuit, qui
 novissime sub vestro Imperio juxta volun-
 tatem Patris, pro salute eorum, qui in eum
 credunt, ex Virgine homo factus est; qui
 contemni, & pati voluit, ut mortem morte
 sua, & resurrectione vinceret.

Hh 5

§. XXXIX.